

niae, cum alias tum periculosissimo Belli Tempore, singulari cum benigna satisfactione nostra contestatum homogialez zelum, impensam in exequendis benignis Jussis Nostris Operam et Diligentiam, eximiam denique ipsius Nationis Bellicam Virtutem, clementer decrevimus, in Praemium et Testimonium exhibitae Virtutis, peculiari ejusdem Gentis Solatio, ad cumulum denique Felicitatis horum Regnorum Nostrorum, in Iisdem Dycasterium Politicum sub titulo Regij in Regnis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Consilij, Politico-oeconomicorum et respective militarium, secundum benignas Dispositiones nostras rite administrandorum et exequendorum, ad Normam Consilij Nostri Locumtenentialis Regij in Hungaria, Curam habiturum, a Majestate Nostra legitimisque Successoribus Nostris Hungariae Regibus in perpetuum dependens, ita clementer erigere, ut ad Idem sub Praesidio moderni Regnorum istorum Spectabilis ac Magnifici Comitis Bani Fidelis Nobis sincere dilecti, et Ejus in Officio Successorum, praeter subalternos, quinque Consiliarij, signanter quidem unus e Statu Praelatorum, unus e Statu Magnatum, tres denique e Statu Nobilium, et hos inter unus ex parte Camerali, per Nos denominati, et in futurum etiam per Majestatem Nostram ac praementionatos Successores Nostros Legitimos Hungariae et Partium Eidem adnexarum Reges, habita praefereuter Nationalum idoneorum Subjectorum Reflexione, denominandi applicentur. Consilium vero hoc Regium pro hic et nunc, ac usque ultiores Dispositiones Nostras in Libera Regiaque Civitate Varasdinensi considerat.

Cujusmodi Clementissimam Resolutionem Nostram, quemadmodum minime ambigimus. Fideles Regnorum istorum Nostrorum Status et Ordines homagiali, eaque devotissimi gratissimique Animi cum significatione esse accepturos; Ita Iisdem ulterius quoque Gratia et Clementia Nostra Caesareo-Regia benigne atque jugiter propensae manemus. Datum in Archiducali Civitate Nostra Vienna Austriae Die Septima Mensis Julij, Anno Domini Millesimo Septingentesimo Sexagesimo Septimo.

Maria Theresia m. p.

Comes Franciscus Eszterhazy m. p.

Ladislaus Battha m. p.

*Intitulationis tenor:*

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item Egregiis et Nobilibus, nec non prudentibus ac circumspectis N. N. Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae universis Statibus et Ordinibus, Fidelibus nobis dilectis. Varasdini ex officio.

*(Locus Sigilli Regii)*

Cujus intuitu ordinati sunt sub Praesidio Illustrissimi Domini Comitis Generalis ab Orssich, Dominus Baro Alexander Malenich, Dominus Canonicus Franciscus Popovich, Domini Vice-Banus et Prothonotarius Regni, Domini Consiliarij Petrus Spissich et Georgius Petkovich, Domini Comitatus Za-